ventum parvum. Aliae ecclesiae non sunt in civitate, sed extra in hortis, agris, campis sunt multae ecclesiolae, et campus plenus tumbis lapideis mortuorum, et tamen non est coemeterium, sicut etiam ante civitatem Ulmensem in quolibet horto est una domuncula, in qua ligones et rastra servantur, vel pro solatio: sic Parentiae in quolibet horto est una capella et juxta eam tumba, pro horti domini sepultura. Aliquae capellae habent tria altaria, aliquae unum, aliquae duo, sunt tamen pro majori parte desolatae et pecorum stabula factae, pauperes etiam et domiciliis carentes in eis dormiunt, unde vidi unam navem repletam miserrimis et nudatis hominibus applicantem in (b) portum illum, qui cum non intromitterentur, omnes simul in unam illarum ecclesiarum, quae stat super mare, commigraverunt, et ibi in tanta penuria et miseria manserunt, quod non potuit absque motu pietatis videri; erant enim homines isti de quodam pago Dalmatiae, quem Turci invaserant, et in devastatione homines isti sicut nudi cum mulieribus et parvulis ad mare confugientes navigio evaserunt et per ventum ad hunc delati fuerunt portum.

Sed quid sentiendum sit de illis capellis et sepulturis et tumbis vix video, hoc autem credo, quod campus ille paganis olim idolis fuit consecratus, et in eo sepeliebantur in tumbis, quae hodie ibi jacent. Supervenientes autem Christiani extumulaverunt corpora damnatorum et campum Christo dedicaverunt construentes capellas et altaria. Vel forte sic accidit, quod aliquis pius Parentinus episcopus coecis devotionibus saecularium condescendens licentiam dedit, ut quilibet in horto suo posset aedificare capellam, altare, et aptare in ea tumbam pro sepultura, et aedificata eis consecravit, et ita episcopus ille sponsam suam et ecclesiam exsecrabiliter prostituit et foedandam exposuit, sunt enim diverticula luxuriantium, nec amplius sunt juxta eas sepulturae, sed tumbae vacuae; moderna sepultura est in coemeterio majoris ecclesiae in civitate, ubi etiam est baptisterium. De illo baptisterio aliquid ibi recitandum occurrit. Quadam vice, dum solus in ecclesia essem et loca circuirem, veni ad concham baptismi, quae erat operculo ligneo operta, sed sera non clausa; elevavi ergo operculum, volens videre sacramentalem aquam, qualis esset et quanta, quia concha marmorea erat magna. Sed dum ambabus manibus appositis operculum levarem et intus respicerem, ecce, tota margo repleta erat

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;